Theologia

~~Teol. 2816~~


Augustianorum Casim. ad Crac.
Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini
ap. S. Catharinam: Conclusiones theologicae
dogmatico-historico-apologetico-scholastico

1750

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

Dogmatico - Hiſtorico - Apologetico - Scholaſticæ.

Qveis, qvæ ad ſeptem Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta ſpectant, univerſa, diſcutiuntur, atq; complanantur.



DE SACRAMENTIS univerſim.

I. *Sacramenti* nomen in Eccleſia merito retinetur. II. Eſt autem *Sacramentum*, inviſibilis gratiæ ſignum ſenſibile, divinitus inſtitutum, & Chriſti nomine ſacroq; ritu exhibitum, & hominum ſanctificationem efficiens. III. Abraham omnium primum circumciſum certa argumenta demonſtrant. IV. Negari non poteſt, qvin circumciſio fuerit data in ſignum diſtinctivum ſeminis Abrahæ à reliqvis mundi gentibus. V. Inſtituta etiam fuit circumciſio ad originale peccatum delendum. VI. Idq; non eſt ab Auguſtino primum excogitatum. VII. Septem ſunt, nec plura, nec pauciora Eccleſiæ Sacramenta. VIII. Temere ac falſo autumant hæretici Auguſtinum duo tantum agnoviſſe. IX. Chriſtus JEſus *immediatè* omnia legis novæ Sacramenta inſtituit. X. Qvamqvam id non ſit dogma fidei à Tridentina Synodo definitum. XI. Sacramenta rebus, tanqvam *materia*, & verbis, tanqvam *forma*, perficiuntur. XII. Non eſt penes Eccleſiam materiam formamq; Sacramentorum immutare. XIII. Verba, quæ *formam* Sacramentorum conſtituunt, non ſunt promiſſionis, aut concionis, ſed tantummodo conſecrationis. XIV. Solus Homo viator eſt ordinarius Sacramentorum Miniſter. XV. Qvamvis non ſint ſinguli prorſus homines qvorumlibet Sacramentorum miniſtri. XVI. Poſſunt Angeli Sancti, vel Beati in cœlo regnantes extraordinaria poteſtate Sacramenta conficere. XVII. Valet Sacramentum ab improbo ſceleſtiſſimoq; Miniſtro collatum, modo nihil eorum deſit, qvæ ad illius conſtitutionem ſunt neceſſaria, ideſt, aut materia, aut forma, aut intentio. XVIII. Sacerdos lethalis culpæ ſibi conſcius, etſi valide Sacramenta conficiat, impie tamen & illicite eadem conficit, atq; adminiſtrat: qvod de aliis ſacrorum Miniſtris, præſertim Diaconis, eſt aſſerendum. XIX. Ut Sacramentum ratum ſit, neceſſaria eſt intentio Miniſtri, qva non irriſorie, & mimice operetur, ſed revera proponat in animo facere, qvod facit Eccleſia. XX. Hinc ſi in Miniſtro ſit ſola intentio faciendi ritum externum, geratq; ille in animo ſuo latentem deliberationem non faciendi rem Sacram, ut fieri ſolet in Chriſti Eccleſia, etiamſi materiam adhibeat, & formam proferat, nec contraria deliberatio aliqva externa irriſione ſe prodat, nullum erit, & irritum Sacramentum. XXI. Neceſſum tamen non eſt, ut Sacramentum validum ratumq; ſit, ut Miniſter intendat illius effectum, vel habeat in animo illud peragere, qvod fit ſolemni ritu in Eccleſia Romana, vel explicite credat eſſe ritum illum revera ſacrum & ſa-

lutiferum; sed sufficit, si id proponat facere qvod solemni more perficitur in Christi Ecclesia, qvalicumq; sit Ecclesia ista, sive apud Catholicos, sive apud hæreticos permanens, & qvaliacumq; sint illius Ecclesiæ mysteria, sive efficientia gratiarum, sive fidei argumenta, sive symbola prorsus inania. XXII. Juxta præsentem ordinem Sacramenta pro solis hominibus viatoribus sunt instituta. XXIII. In adultis ad Sacramenti characterem suscipiendum necessaria est intentio aliqva, saltim qvam vocant *interpretativum*. XXIV. Ut qvis cum fructu Sacramenta Vivorum recipiat, si adultus sit, & sibi sit conscius mortalis peccati, tenetur Sacramentaliter confiteri; ut recipiat autem Sacramenta *mortuorum*, fidem, spem, timorem, charitatem habeat, vereq; pœniteat, necessum est. XXV. Non est Sacramentorum omnium tam veteris, qvam novæ legis eadem vis, atq; efficientia. XXVI. Siqvidem vetera Sacramenta *per se* conferebant duntaxat emundationem carnis, & sanctitatem legalem; gratiam vero sanctificantem *per accidens* tantum, & ob fidem suscipientium, atq; ut inqviunt, *ex opere operantis*: Circumcisione dempta, de qva non una est Scholasticorum Doctorum sententia. XXVII. At Sacramenta novæ legis ex merito passionis Christi, justificandi vim habent, & *ex opere operato* gratiam producunt. XXVIII. Sacramenta sunt caussa gratiæ *instrumentalis physica indirecta*. XXIX. Certum est dari *characterem*, atq; imprimi ab his Sacramentis, qvæ iterari non possunt, Baptismate scilicet, Confirmatione, & Ordine. XXX. Character Sacramentalis revera animæ inhæret, atq; indelebilis est. XXXI. Citra fidei periculum negari potest, characterem esse rem ab anima distinctam. XXXII. Ecclesia ceremonias instituendo jure suo minime est abusa, illasq; recte prudenterq; præscripsit. XXXIII. Qvidqvid Claudius de Vert opinetur, sacri ritus, instituti primitus sunt præsertim ob mysticam & symbolicam significationem, non naturalem habuerunt caussam. XXXIV. Neqveunt sacræ ceremoniæ ab Ecclesia præscriptæ contemni, aut pro libito omitti, aut in alias mutari per qvemcumq; Ecclesiarum Pastorem.


DE BAPTISMO.

XXXV. Turpiter alucinatur Socinus, dum absurdo, ac plane inusitato sensu unum idemq; esse contendit doctrinam, atq; baptismum. XXXVI. A lustrationibus Gentium, vel Judæorum mersionibus baptismus originem non trahit. XXXVII. Baptismus Joannis divino fuit institutus instinctu. XXXVIII. In eo præcipue baptismus Christi præstat baptismo Joannis, qvod ille majorem habeat efficaciam, valeatq; ad ablutionem culpæ; qvum iste vi sua conferret legalem tantum, corporeamq; munditiam, remissionem vero peccatorum, nonnisi ratione pœnitentiæ, fideiq; suscipientium. XXXIX. Baptismus à Christo fuit institutus ante passionem, & qvidem dum baptizatus est à Joanne in Jordane. XL. Qvamvis baptismus ante mortem Christi fuerit institutus, præceptum tamen illum suscipiendi non obstrinxit *saltem generaliter*, ante Evangelicæ legis promulgationem. XLI. Sola naturalis aqva Sacramenti baptismatis *materia* est. XLII. Non est Ecclesiæ Romanæ recens usus, sed à Patrum traditione derivatus, ac retinendus consecratio & benedictio aqvæ baptismo deservientis. XLIII. A priscis Ecclesiæ sæculis obtinuit consvetu-

do baptizandi per immersionem, & qvidem trinam. XLIV. Non fuit tamen ad sæculum usq; decimum tertium trina immersio ita communiter recepta, ut probatus aliqvando non fuerit baptismus, aut infusione, aut unica mersione collatus. XLV. Qvocumq; ritu conferatur baptismus, sive immersione, sive infusione, sive aspersione, validus est; & Ecclesia Romana, qvæ præscribit immersionem, aut infusionem, imperite, nulloq; jure à Marco Ephesio, aliisq; Græculis reprehenditur. XLVI. Qva baptizant Latini, legitima est, ac antiqvissima verborum formula. XLVII. Græcorum *forma* baptismi enuntiativa est, non deprecativa: valida & ipsa; nec ab ea, qva utuntur Latini, substantialiter discrepat. XLVIII. Reqviritur ad validitatem baptismi verbum, qvo exprimitur actus baptizantis, scilicet *Baptizo*, sive, *Baptizatur*. XLIX. Non valet baptismus absq; expressa Sanctæ *Trinitatis* invocatione collatus. L. Neq; ab Apostolis baptismus absq; invocatione *Trinitatis* expressa collatus fuit. LI. Jus baptizandi solemni ritu Episcopis principaliter datum est, Presbyteris deinde id commissum, non tamen absq; Episcoporum auctoritate. LII. At Diaconus, nonnisi ex delegatione, solemni ritu baptismum administrare potest. LIII. In casu necessitatis qvilibet Homo, etiam Laicus, potest absq; solemni ritu administrare baptismum. LIV. Mulieres etiam. LV. A Catholicis rebaptizandos hæreticos qvamplurimi veterum tradiderunt, inter qvos Agrippinus Carthaginensis Episcopus, Tertullianus, Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, Cyprianus Episcopus Carthaginensis, Dionysius Alexandrinus, nec non Basilius Magnus. LVI. Qvidqvid rebaptizantes senserint, valet baptismus ab hæreticis in nomine *Trinitatis* datus. LVII. Tenet qvoq; baptismus à Pagano sub præscripta *forma* collatus. LVIII. Decreto Stephani probatum non fuit baptisma omnium promiscue hæreticorum, sed consecratum duntaxat Evangelicis verbis, idest, *in nomine Trinitatis* collatum. LIX. Sanctus Athanasius, Optatus Milevitanus, & Cyrillus Hierosolymitanus, rebaptizantibus minime sunt accensendi. LX. Licitum, & congruum est, infantes ante usum rationis sacro regenerari baptismate. LXI. Pueri infidelium, Parentibus reluctantibus & invitis, casibus qvibusdam exceptis, baptizari, salva æqvitate, non qveunt. LXII. Baptismus Matris, aut signum aliqvod ei applicatum, nec pertingens ad abluendum puerum, qvem gestat in utero, ad hunc regenerandum neqvaqvam sufficit. LXIII. Neq; ante aperitionem uteri potest infans ex aqva & Spiritu Sancto renasci. LXIV. In ipso deniq; puerperio, licet per siphunculum, aut syringiam posset aqva perfundi puer, baptizandus non est, nisi aliqvam corporis sui partem foras emiserit. LXV. Baptismi Sacramentum in illis adultis, qvi simulato animo ad ipsum accedunt, sublato postmodum obice reviviscit. LXVI. Errorem illorum, qvi vel mortuos, vel viventes, pro mortuis baptizarunt, damnamus, detestamurq;. LXVII. Baptismus omnibus *necessitate medii*, & adultis, qvi libero utuntur arbitrio, & Evangelicæ legis notitiam habent, etiam *necessitate præcepti*, necessarius est ad salutem. LXVIII. Baptismus *flaminis*, idest, ardens baptismi votum supplet in adultis, non autem in parvulis, qvi perse votum illud neqveunt concipere, necessitatem baptismi *fluminis*, hoc est, aqvæ. LXIX. Baptismus qvoq; *Sangvinis*, idest, *Martyrium* supplet baptismi vicem, non tantum in adultis, verum etiam in parvulis. LXX. Gratiam, Characterem, aliosq; effe-

 ctus

ctus præstantissimos producit in nobis sanctum baptismi lavacrum. LXXI. Abrenunciationes Satanæ, Exorcismi, & Exsufflationes in solemni administratione baptismi recte adhibentur.



DE CONFIRMATIONE.

LXXII. Confirmatio est verum ac proprium novæ legis Sacramentum. LXXIII. Instituta fuit eo temporis intervallo, qvo Christus à mortuis redivivus per dies qvadraginta cum Apostolis permansit *loqvens de regno DEI*, ut habetur Actorum capite primo. LXXIV. Manus impositio est Sacramenti Confirmationis *materia essentialis*. LXXV. Immo & Chrismatis unctio. LXXVI. Qvare in utroq; *impositione* scilicet *manuum*, & *Chrismate*, constitui debet *materia* adæqvata Confirmationis. LXXVII. Oratio præcedens unctionem, & manuum impositioni respondens, non est forma Sacramenti Confirmationis. LXXVIII. Sed verba, qvæ comitantur Chrismatis inunctionem, ideſt, *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris*, &c. tametsi accidentariam aliqvam mutationem subierint, sunt apud Latinos vera, propria, & adæqvata *forma* hujus Sacramenti. LXXIX. Græcorum vero *forma*, & ea qvidem valida, est, *signaculum doni Spiritus Sancti*. LXXX. Minister *Ordinarius* Confirmationis est solus Episcopus. LXXXI. Potest simplex Sacerdos ex dispensatione, sive *extraordinaria* facultate, hoc Sacramentum conferre. LXXXII. Qvamqvam ut simplex Presbyter valide confirmet, reqviratur in Ecclesia Occidentali delegatio summi Pontificis; & in Orientali consvetudo universim recepta, qvam idem Romanus Pontifex aut approbet, aut saltim permittat. LXXXIII. Homines omnes, dummodo sint initiati baptismate, sunt ad recipiendum Confirmationis characterem idonei. LXXXIV. Adulti, qvi sibimet conscii sint mortalis culpæ, debent Confirmationi præmittere Confessionem Sacramentalem. LXXXV. Ut à jejunis detur, & accipiatur Sacramentum istud, congruum est. LXXXVI. Confirmatio necessaria non est necessitate *medii* ad salutem. LXXXVII. Tametsi necessaria sit sive in re, sive in voto necessitate *præcepti* non tantum Ecclesiastici, verum etiam divini, iis, qvi vel coram Tyranno fidem profiteri debent, vel adversus Christianam fidem crebris, gravibusq; tentationibus exagitantur. LXXXVIII. Si adsit Episcopus, ac se ad confirmandum neophytos denuntiet esse paratum, adulti ætate, nulloq; legitimo impedimento detenti, si consignari negligant, mortali peccato sese obstringunt. LXXXIX. Sacramento Confirmationis confertur gratia sanctificans, sive, ut loqvuntur Scholæ, gratum faciens. XC. Gratia, qvam producit hoc Sacramentum, est augmentum gratiæ tribuens baptizato perfectionem, robur, ac firmitudinem. XCI. Gratia hæc connotative differt à gratia baptismali, eaq; non *absolute*, sed tantum comparative est perfectior. XCII. Sacramentum Confirmationis imprimit characterem, atq; iterari non potest. XCIII. Ritus, qvo olim hæretici recipiebantur in Ecclesiam, non erat Confirmationis repetitio. XCIV. Neq; Augustinus, neq; Cyprianus affirmavere

re reconciliandos venientes ab hæresi per iteratum Confirmationis Sacramentum. XCV. Statuenda est inter characterem baptismi & characterem confirmationis aliqva connotativa distinctio. XCVI. Chrismatis consecratio *ordinario* jure ad solos spectat Episcopos. XCVII. Valet talis consecratio ab Apostolica sede simplici Presbytero committi.

DE EUCHARISTIA.

XCVIII. Sacramentum Eucharistiæ situm est in visibili specie elementorum, & invisibili Domini nostri carne, & sangvine; non autem in sola symbolorum consecratione, aut sumptione. XCIX. De hujus Sacramenti institutione disserentes principio ostendimus, immolatum olim fuisse *Pascha* Judaicum in mense Nisan Luna 14. exeunte, ideft, horis pomeridianis decimæ qvartæ diei mensis Nisan, ad qvas conseqvebatur vespera, initiumq; diei decimæ qvintæ, & Paschalis solemnitas. C. Tempore Christi Domini non utebantur Judæi duplici Neomenia, à phase lunæ, & à congressu planetarum deducta; neq; duplici calculo, Astronomico, & vulgari, qvorum unum Dominus, alterum Jerosolymitani secuti fuerint. CI. Christus Dominus pridie qvam pateretur *legale Pascha* una cum discipulis suis manducavit. CII. Idq; eadem die cum Judæis. CIII. Nullus Judæorum anno Passionis Christi distulit Pascha in proximum Sabbatum, & in exeuntem lunam decimam qvintam. CIV. Qvapropter Christus Dominus Sacramentum Corporis sui consecravit in azymo. CV. Viguit in Romana Ecclesia ab Apostolorum ætate ad hanc usq; perpetuus azymi usus. CVI. Qvamobrem imperite qvidam Græcorum vitio vertunt Romanæ Ecclesiæ, qvod consecret in azymo. CVII. At etiam Græci *Fermento* sub usi sunt olim, idq; ante exortum schisma Photianum. CVIII. Valide iccirco tam in *azymo* pane, qvam in *Fermentato* conficitur Eucharistia. CIX. Dummodo tamen panis triticeus sit. CX. Vinum, est præter panem divinæ Eucharistiæ *materia*, nec ejus loco substitui potest aqva, sive alius liqvor, etiamsi communi usui deserviat ad potum. CXI. Cui modicum naturalis aqvæ perantiqva traditione, & Ecclesiæ præcepto debet infundi. CXII. Hinc aqvæ cum vino permixtio non est de necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti, & qvidem Ecclesiastici, non divini. CXIII. Aqva vino permixta in Christi Sangvinem convertitur, & qvidem *immediate*, ut probabilius censemus. CXIV. Eucharistia verbis Dominicis, non precibus, qvæ antea, vel post recitantur, à Sacerdotibus consecratur. CXV. Nam ea duntaxat verba, *Hoc est Corpus meum*, &, *Hic est Calix Sangvinis mei*, aut, *Hic est Sangvis meus*, consecrationi essentialia sunt; qvamvis omne studium adhibendum sit, ne cetera prætermittantur. CXVI. Consecrationis verba, non historice tantum, & narrative, sed *assertive etiam*, & *significative* pronuntiantur. CXVII. In Eucharistia vere Corpus & Sangvis Domini nostri JEsu Christi continetur. CXVIII. Neq; manet ibi panis viniq; substantia, sed vi consecrationis in substantiam Corporis, & Sangvinis Christi convertitur.

CXIX. Ex reali Corporis & Sangvinis D. J. C. præsentia sub symbolis Eucharisticis; infertur primum ipsi Domino in Eucharistia existenti latriæ cultum esse exhibendum. CXX. In templis itidem religiose ac diligenter ipsam Eucharistiam asservandam. CXXI. Optimo Consilio solemne Festum Sacratissimi Corporis Christi fuisse institutum. CXXII. Et cum eodem solemni Festo *Processionem*, in qva Sacratissima Eucharistia circumfertur, CXXIII. Rursus hanc religiosissime exponi, & circumgestari aliis qvoq; temporibus, modo qvædam præceptiones serventur. CXXIV. Eucharistiam consecrare, & conficere ad solos attinet Sacerdotes. CXXV. At aliqvando illam dispensarunt etiam Diaconi, præsertim sub specie vini, Antistitum tamen jussu & delegatione. CXXVI. Eucharistia non est omnibus prorsus, sive adultis, sive parvulis, ita ad salutem necessaria, ut nullus omnino possit sine illa salutem conseqvi. CXXVII. Qvamvis, si accipiatur manducatio Corporis Christi, mystico sensu, qvatenus idem est, ac Ecclesiæ copulari, sit omnino aut in re, aut saltim in voto, de necessitate salutis. CXXVIII. Non erravit proinde Augustinus adstruens communionem Corporis & Sangvinis Domini singulis, etiam parvulis, necessariam; siqvidem de communione mystica, non de Sacramentali loqvebatur. CXXIX. Tenentur præcepto divino ad communionem Sacramentalem adulti. CXXX. Et præcepto Ecclesiastico saltim semel in anno, recurrente solemnitate Paschali. CXXXI. Qvod Ecclesiæ præceptum adimpleri neqvit communione sacrilega. CXXXII. Neq; divinum præceptum, neq; salutis necessitas exigit, ut Laici sub utraq? *specie* communicent. CXXXIII. In Ecclesia enim Occidentali etiam ante duodecimum sæculum Eucharistia freqventissime sumebatur sub unica *specie* panis. CXXXIV. Obtinuitq; aliqvando in Orientali Ecclesia idem usus. CXXXV. Revera sub utraq; *specie* continetur totus, & integer Christus. CXXXVI. Eademq; gratia confertur communicanti sub unica tantum specie, ac conferatur utramq; speciem sumenti. CXXXVII. Jure optimo, atq; omni æqvitate non Sacerdotibus usus calicis sublatus est. CXXXVIII. Nec expedit, ut iterum permittatur. CXXXIX. Ut vero etiam in iis, qvæ ad sacrificium pertinent, refutemus hæreticos; affirmamus Christum, qvando Eucharistiam instituit, obtulisse in ea verum sacrificium, atq; præcepisse etiam Apostolis, ut illud in sui commemorationem offerrent. CXL. Sacrificium istud, qvod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit, non est sacrificium improprie acceptum, atq:, ut contendunt hæretici, sola Dominici Corporis distributio, & communio, sed vera oblatio habens proprii sacrificii rationem. CXLI. Incruentum Missæ sacrificium est vere *propitiatorium*. CXLII. Neq; pro viventibus tantum, verum etiam pro iis, qvi cum pietate defuncti sunt, debet offerri. CXLIII. At pro damnatis, & pro sanctis in cœlo regnantibus sacrificium tanqvam *propitiatorium* offerri non potest; pro his tamen, nempe sanctis, ob alias caussas rite peragitur. CXLIV. Rectus per omnia est Missarum *privatarum* usus. CXLV. Qvare impie & sacrilege hæretici unam tantum Missam communem, reprobatis ceteris, commendant, atq; deprædicant. CXLVI. Frustraq; calumniantur, multitudinem Missarum pravo fine fuisse introductam.

DE

DE POENITENTIA.

CXLVII. Pœnitentia est verum ac proprium novæ legis Sacramentum. CXLVIII. Et qvidem diversum à Sacramento baptismi. CXLIX. Tunc præcipue institutum cum Dominus à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens, *accipite Spiritum Sanctum, qvorum remiseritis*, &c, CL. Est autem hoc Sacramentum lapsis post baptismum ad salutem prorsus necessarium. CLI. Nullum omnino datur peccatum, qvod per pœnitentiam expiari,& ab Ecclesia remitti non possit. CLII. Partes pœnitentiæ non sunt terrores incussi, & fides, ut volunt hæretici, sed contritio,Confessio, & Satisfactio, qvemadmodum docent Catholici. CLIII. Ad contritionem reqviritur odium, & detestatio peccati, melioris vitæ propositum, nec non ut interna sit, vera, supernaturalis, atq; ad omnia patrata scelera sese extendat. CLIV. Sententia necessitatem amoris *initialis* ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam propugnans,è diametro opponitur doctrinæ hæreticorum à Sacrosancto Concilio Tridentino proscriptæ. CLV. Tridentinum Concilium Sess. 14. cap. 4. neqvaqvam definivit, Attritionem *servilem*, & ab amore *initiali* sejunctam ad gratiam, remissionemq; peccatorum in Sacramento pœnitentiæ obtinendam *sufficienter* disponere. CLVI.Sententia ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ conseqvendam exigens *initialem* amorem ipsi Tridentino Concilio, sacris litteris, Patribus, & rationi videtur esse conformis. CLVII. Amor necessarius ad gratiam in Sacramento obtinendam est amor charitatis, non spei tantum, qvo diligitur Deus, *ut bonus nobis*. CLVIII. E sacris litteris demonstratur divinum Sacramentalis Confessionis præceptum. CLIX. Eadem Sacramentalis Confessionis necessitas ex majorum Traditione habet robur ac firmitatem. CLX. Sacramentalis Confessio non est medium ad salutem conseqvendam tantum perutile, ut oggamiunt hæretici, sed necessarium necessitate illa,qvam dicunt *medii*, iis, qvi post baptismum mortali culpa inqvinantur. CLXI. Necessum autem est,ut pœnitentes enumerent omnia peccata lethalia,qvorum reminiscuntur. CLXII. Nonnulli interdum priscis Ecclesiæ sæculis, ob doloris vehementiam, atq; fidelium ædificationem enuntiabant publice peccata sua. CLXIII. Atq; probabilis est illorum opinio, qvi censent aliqvando Ecclesiarum Antistites præcepisse pœnitentibus, ut publicorum peccatorum publicam ederent confessionem. CLXIV. At nunqvam lege aliqva divina, vel Ecclesiastica statutum est, ut peccata occulta in Confessione publice proferantur. CLXV. Confessioni & Pœnitentiæ publicæ, qvæ olim fuit in usu, præmittebatur secreta peccatorum confessio, qva audita Sacerdos pœnitentiam imponebat, & hortabatur confessum, ut pœnitentiæ insistens aliqvod peccatum palam enuntiaret; in qvo summa adhibebatur prudentia, ut ex tali enumeratione oriretur fidelium ædificatio, non scandalum: ideoq; Sacramentalis Confessio non ex publica pœnitentia, aut ex publica aliqvorum peccatorum confessione duxit exordium; sed è contra publica pœnitentia, & publica aliqvorum delictorum accusatio ex præmissa Sacramentali, & ea qvidem secreta, confessione derivavit. CLXVI. Qvidam etiam per litteras commissa scelera confessi sunt. CLXVII.Hæc tamen Confessio non est Confessio Sacramentalis licita, nec valida. CLXVIII. Eadem Confessio per litteras etiam ante Clementis Octavi definitionem divino jure irrita erat ac nulla. CLXIX. Possunt venialia peccata, utiliter, citraq; omnem præsum-

ſumptionem Sacerdotibus enuntiari. CLXX. At mortalium ſingulorum, debet *Species* ac numerus aperiri. CLXXI. Si *ſpeciem* mutent, aut plurimum gravitatem peccati adaugeant, detegendæ qvoq; omnino ſunt in Confeſſione circumſtantiæ. CLXXII. Haud ſecus de peccatis dubiis eſt ſentiendum, ſi talia appareant prudenti & rationabili cauſſa, non autem levi atq; inani. *CLXXIII.* Non debet dividi peccatorum confeſſio, adeo, ut qvædam uni, qvædam alteri Sacerdoti enuntientur. *CLXXIV.* Qvi audiunt confeſſiones ad Sigillum naturali, divino, & Eccleſiaſtico jure tenentur. *CLXXV.* Nulla datur confeſſio, qvæ ſit valida qvantum ad Sacramenti ſubſtantiam, & ſit absq; effectu, ſive ut inqviunt è Schola, *informis*. *CLXXVI.* Epiſcopi duntaxat, ac Presbyteri Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare qveunt. *CLXXVII.* Ideoq; *Exomologeſis*, de qva S. Cyprianus, & reconciliatio in vitæ diſcrimine data per Diaconum, non erat confeſſio & abſolutio Sacramentalis. *CLXXVIII* Et qvamvis permulti in vitæ exitu, cum non haberent Sacerdotis copiam, confeſſionem fecerint Laicis, & ad confeſſionem eo in caſu Laicis faciendam hortati ſint viri graviſſimi; confeſſio tamen hujusmodi nec Sacramentalis dici poteſt, neq; neceſſaria ad ſalutem. *CLXXIX.* Sacerdoti, ut aliqvem valide abſolvat, excepto mortis articulo, neceſſaria eſt poteſtas jurisdictionis, & approbatio Epiſcopi. *CLXXX.* Danda eſt opera in grave ſcelus prolapſis, ut qvam primum confiteantur. *CLXXXI.* Satisfit præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis, per confeſſionem factam cuiq; Confeſſario approbato, tametſi non ſit Parochus. *CLXXXII.* Non tamen per Confeſſionem Sacrilegam. *CLXXXIII.* Aperte non evincitur viguiſſe olim, ſive apud Latinos, ſive apud Græcos, *formam* Sacramentalis abſolutionis *deprecativam*. *CLXXXIV.* At ſive obtinuerit, ſive non *forma* abſolutionis *deprecativa*, Sacramento conſtituendo magis congrua, & idonea eſt illa, qvæ in Latina Eccleſia uſurpatur. *CLXXXV.* Sacerdos abſolutionis formam pronuntians non declarat peccata à Deo jam eſſe dimiſſa, ſed ipſe auctoritate à Chriſto accepta eadem peccata relaxat. *CLXXXVI* Abſolutionis beneficio privandi ſunt, extra imminentis mortis periculum, inolita peccandi conſvetudine implicati. *CLXXXVII.* Deneganda eſt pariter abſolutio his, qvi deſerere proximam peccandi occaſionem nolunt. *CLXXXVIII.* Nemini tamen baptizatorum, qvamvis perditiſſimo, in exitu mortis petenti reconciliationem atq; abſolutionem poſſe illam negari. *CLXXXIX.* Haud ſecus de illis ſentiendum, qvi poſteaqvam Confeſſarium petierunt, dederuntq; pœnitentiæ ſigna, Sacerdote adventante, loqvendi facultate, atq; exteriori ſenſu deſtituuntur. *CXC.* At probo frugiq; viro, qvi nullo præmiſſo pœnitentiæ ſigno circumvenitur mortis anguſtiis, agitq; animam, abſolutionem *conditionate* impendendam eſſe cenſemus. *CXCI.* Si de veteri Eccleſiæ diſciplina velimus diſſerere, ab Apoſtolorum tempore usq; ad ætatem Tertulliani omnibus peccatis remiſſio & venia conceſſa eſt. *CXCII.* Circa Tertuliani tempora nonnulli mæchis negabant abſolutionem: at non erat hæc Eccleſiarum Catholicarum communis conſvetudo; neq; hanc communem conſvetudinem Tertullianus recenſet, ideoq; immerito à doctis viris putidi mendacii arguitur. *CXCIII.* Decreto itaq; Zephyrini non relaxatus eſt circa mæchiam rigor antiqvioris diſciplinæ, ſed repreſſa potius eſt diſciplina illa durior circa Tertulliani ætatem invecta, qvæ adverſus perantiqvam inſtitutionem mæchis pœnitentiam agentibus negabat reconciliationem, & pacem. *CXCIV.* Recte proinde ſe geſſit S.

Cy-

Cyprianus lapsis omnibus post actam pœnitentiam indulgens veniam, nec pristinam Ecclesiæ disciplinam violavit. *CXCV.* Neq; in exitu mortis idem Cyprianus, vel Africanum Concilium negavit lapsis & sacrificatis reconciliationem & pacem. *CXCVI.* Qvod Sanctus Cyprianus Epistola 55. ad Cornelium scripserit desertores sua facilitate susceptos, argumento non est, disciplinæ severitatem fuisse ab eodem Cypriano laxatam. *CXCVII.* Nullus in lapsis reconciliandis pro disciplinæ æqvitate pugnavit magis, qvam beatissimus Cyprianus. *CXCVIII.* Qvod S. Cyprianus ordinaria lege pacem daret post pœnitentiam exactam, aliorum qvoq; praxi & consvetudine comprobatur; qvamqvam non sit de Sacramenti *substantia*, ut satisfactio absolutionem præcedat. *CXCIX.* Qvæ apud Cyprianum, aliosq; nonnullos leguntur de pace aliqvando lapsis in exitu mortis non concedenda, non evertunt qvæ superiori propositione centesima octogesima octava diximus de absolutione eo in casu nemini deneganda. CC. De satisfactione, ut de postrema pœnitentiæ parte agamus modo, hæc sentimus: Plerumq; dimissa culpa temporales pœnæ remanent luendæ. CCI. Potest, ac debet Sacerdos confessis pœnas satisfactorias injungere. CCII. Satisfactionis opera non imponuntur tantum ad aliorum exemplum, & ædificationem Ecclesiæ, verum etiam ad redimenda peccata, ad satisfaciendum Deo, & ad compensandas illatas ipsi injurias. CCIII. Novem Sacramentum pœnitentiæ fructus producit. CCIV. Inter qvos præcipuus est bonorum operum reviviscentia. CCV. Peccata autem per pœnitentiam remissa, per subseqventem culpam minime redeunt, nisi, ut inqviunt theologi, *secundum qvid.*

DE EXTREMA UNCTIONE.

CCVI. Extremam Unctionem esse verum ac proprium novæ legis Sacramentum ex Catholica Jacobi Epistola invicte demonstratur. CCVII. Idem ex Traditione constat. CCVIII. Hujus Sacramenti mentionem fieri capite sexto Marci, non qvidem certa, sed tamen admodum probabilis sententia est. CCIX. Sacramentum Extremæ Unctionis à Christo fuit institutum, ac probabilius *immediate*, & priusqvam cœlos conscenderet. CCX. Oleum ex olivis expressum, & ab Episcopo consecratum est hujus Sacramenti materia. CCXI. Perperam Calvinus olei hujus benedictionem cum mordacitate deridet. CCXII. Potest simplex Sacerdos oleum infirmorum auctoritate Apostolica, non autem ordinario jure, in Latina Ecclesia solemni benedictione consecrare. CCXIII. Certum non est valere Sacramentum Extremæ Unctionis oleo non consecrato collatum. CCXIV. Circa partes Corporis inungendas diversa transactis sæculis obtinuit disciplina. CCXV. At Romana Ecclesia rectissime Unctiones septem præscribit. CCXVI. Qvamvis septem Unctiones in Rituali Romano præscriptæ prætermitti non debeant: ad Sacramenti tamen *Substantiam* potest unctura una sufficere. CCXVII. Plures unctiones referuntur ad unum Sacramentum constituendum. CCXVIII. Ut unctio fiat pollice Sacerdotis intincto, recte præcipitur; ast neq; ritum istum petit Sacramenti necessitas. CCXIX. In Extremæ Unctionis Sacramento aliqva verborum formula est adhibenda. CCXX. Theologorum Sententia, qvæ tenet *Formam* hujus Sacramenti olim fuisse expressam

 ver-

verbis indicativi modi, & confeqventer etiamnum *Formam abfolutam*, fi adhiberetur, validam futuram fore, nulla cenforia nota perftringi debet, ac magna probabilitate defenditur. CCXXI. Congruentior tamen eft *Forma* per modum deprecationis prolata, cujusmodi eft illa, qvam in præfentia fervant Latinorum Ecclefiæ. CCXXII. Et fi in *Forma* Græcorum nullatenus exprimatur unctionis actus, neq; indicativo modo, neq; optativo; fufficiens tamen illa cenferi debet ad hoc Sacramentum conftituendum. CCXXIII. Miniftri Sacramenti Extremæ Unctionis non funt Seniores ætate, fed Sacerdotes. CCXXIV. Dubitari neqvit, an Epifcopi valeant ægrotos unctione Sacramenti delinire: immo & ad illos maxime, nifi aliis minifteriis detenti effent, munus hoc pertineret, unde ad Parochos attinet, iisq; abfentibus ad Presbyteros alios. CCXXV. Ab uno tantum Presbytero Extremam Unctionem conferri, nec Epiftolæ Jacobi, nec Traditioni, vel definitionibus Ecclefiæ adverfatur. CCXXVI. Qvi facro oleo inungit infirmos, idem Sacerdos proferre debet verba, qvæ Sacramentalem *Formam* conftituunt. CCXXVII. Infirmis autem tantummodo, iisq; adultis, Extrema unctio eft conferenda. CCXXVIII Extrema Unctio peccata delet, eorumq; reliqvias abftergit, proftratum animum alleviat & erigit, & qvandoq; etiam priftinæ corporis fanitati reftituit. CCXXIX. Contemnere igitur tantæ efficacitatis remedium, Sacrilegium eft maximum. CCXXX. Unctio facra juxta veterem Ecclefiæ difciplinam præmiffa fuit qvandoq; Viatico. CCXXXI. Ceterum confvetudo illa univerfalis non fuit. CCXXXII. Qvapropter qvi rationabili aliqva caufa permoti Viatico Unctionem præmitterent, non penitus redarguendi effent. CCXXXIII. Commendanda nihilominus & fervanda eft confvetudo, qvæ Unctioni Extremæ præmittit Viaticum. CCXXXIV. Si poft fufceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti fubfidio juvandi funt infirmi, cum in aliud fimile vitæ difcrimen inciderint. CCXXXV. Rectiffime ac faluberrime conftitutum eft, ut in Unctione infirmorum Pfalmi Pœnitentiales recitentur.

DE ORDINE.

CCXXXVI. Ordo, qvo facri Miniftri initiantur, eft verum propriumq; Evangelicæ legis Sacramentum. CCXXXVII. Septem ab initio ad hæc usq; tempora Ordines obtinuerunt in Ecclefia Latina. CCXXXVIII. Idem feptenarius Sacrarum Ordinationum numerus in Græca qvoq; Ecclefia offenditur. CCXXXIX. Clericalis tonfura obtinuit in Ecclefia ab Apoftolorum ætate, & inftituta fuit, ut Clerici diftingverentur à Laicis. CCXL. Qvæ non eft verus Ordo. CCXLI. At qvatuor minores Ordines verifimilius eft, effe Sacramenta. CCXLII. Hypodiaconatus eft Sacramentum, & Ordo Sacer, non autem Hierarchicus. CCXLIII. Diaconatus vero, ad cujus facrum Minifterium *Sacramentali Ordinatione* promoti fuerunt viri illi feptem, de qvibus Act. 6. CCXLIV. Eft Sacramentum, nec non Ordo Sacer, & Hierarchicus. CCXLV. Qvamqvam Diaconiffas facra aliqva ceremonia fuiffe initiatas, negari non poffit, earum tamen Ordinationem non fuiffe initiationem

aliqvam

aliqvam Sacramentalem apertissime demonstratur. CCXLVI. Ordo Presbyteratus est proprium Evangelicæ legis Sacramentum. CCXLVII. Qvi non confertur propter solum ministerium verbi, sed ulterius, & qvidem præcipue propter sacrificium supremo Domino offerendum. CCXLVIII. Confertur in sacra Ordinatione Presbyteris etiam facultas absolvendi à peccatis, atq; hæc retinendi. CCXLIX. Ordo Episcopatus est Sacramentum, & qvidem à Presbyteratu distinctum. CCL. Et, si à tricis Scholasticis abstinere velimus, & qvæ certissima sunt, à fluxis dubiisq; opinionibus separare; nullum prorsus erit in hac qvæstione dissidium. CCLI. A primæva Ecclesiæ Catholicæ institutione, atq; ab Apostolorum ævo Episcopi Ordine ac Dignitate præfuerunt Presbyteris. CCLII. Materiæ Sacrarum Ordinationum, seu porrectioni instrumentorum, qvam adhibet Ecclesia Latina, arbitramur æqvipollere, qva Orientales & Græci ordinant, manuum impositionem. CCLIII. Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis est Episcopus. CCLIV. *Minores* vero extraordinario qvidem jure, etiam Abbates ab Episcopis benedicti conferre possunt. CCLV. Ordo Subdiaconatus à non Episcopo conferri potest, Apostolicæ Sedis privilegio. CCLVI. Idem fatemur de Ordine Diaconatus, privilegium collatum ab Innocentio VIII. Abbatibus Cistertii, ordinandi subjectos sibi Monachos in Diaconos, vindicantes. CCLVII. A Presbytero tamen, qvi non sit Episcopus, Ordo Presbyteratus conferri non potest. CCLVIII. Etiam Episcopatus nonnisi ab Episcopis conferri potest. CCLIX. Reqviritur ad legitimam & Canonicam, non tamen ad validam consecrationem Episcopi, trium Episcoporum præsentia. CCLX. Validæ sunt Ordinationes factæ ab Episcopis qvacumq; hæresi, aut crimine pollutis, necnon excommunicatione, aut censura alia innodatis; dummodo cum necessaria intentione adhibeant materiam, formamq; legitimam, atq; ipsi eadem ratione inaugurati & consecrati fuerint Episcopi. CCLXI. Hæreticorum Angliæ præsulum Ordinationes nullæ sunt, & cassæ. CCLXII. Neqveunt mulieres suscipere Ordinis Sacramentum. CCLXIII. Ejusdem vir non baptizatus incapax est. CCLXIV. Ad recipiendum Ordinis *Characterem* sufficit ætas qvælibet. CCLXV. Neqvaqvam subsistit Ordo collatus homini invito penitus ac reluctanti. CCLXVI. Qvamqvam in consecrandis Episcopis ac Presbyteris Sacra Unctio apud Latinos sit adhibenda, hæc tamen ad Sacramenti *Substantiam* minime spectat.

DE MATRIMONIO.

CCLXVII. Matrimonium naturali & divinæ legi consentaneum est. CCLXVIII. Nec malum, sed licitum est, honestumq;. CCLXIX. Et aliqva ratione cadens sub præcepto, non tamen ejus generis, qvod possit in Evangelica lege aliqvem in particulari obligare. CCLXX. Matrimonium ex divina institutione est signum rei sacræ. CCLXXI. Idem in Evangelica lege est signum efficax gratiæ, ideoq; proprii nominis Sacramentum. CCLXXII. Certissimum est non pertinere ad Matrimonii substantiam, ut conjuges actu se mutuo cognoscant carnali commercio. CCLXXIII. Pariterq; ad valorem contractus Matrimonialis necessaria non est in carnale commer-

mercium consensio. CCLXXIV. Validum neqvit esse Matrimonium, qvod occulta simulatione, absq; interiori nimirum animi consensu, contrahitur. CCLXXV. Qvamvis communiter loqvendo graviter peccent filii, qvi Matrimonium contrahunt parentibus invitis & reluctantibus; non reqviritur tamen consensus parentum, ut contractus Matrimonialis ratus sit, ac legitimus. CCLXXVI. Matrimonium inter absentes initum, modo qvædam conditiones serventur, validum censendum est, saltim in ratione contractus. CCLXXVII. De Matrimonio, qvod Sacramentum non est, sed contractus tantum civilis, cujusmodi est qvod inter infideles contrahitur, potest Magistratus & Princeps sæcularis caussas assumere, & constituere impedimenta. CCLXXVIII. Statuere autem impedimenta Matrimonii, atq; de hoc proferre judicium, posteaqvam ad Sacramenti dignitatem evectum fuit, pertinet ad jus, & ad auctoritatem Ecclesiæ. CCLXXIX. Dispensare itidem in impedimentis Matrimonii Ecclesiasticæ potestatis munus est, idq; urgentibus duntaxat caussis fieri debet. CCLXXX. Matrimonium *dirimentia* impedimenta rectissime in connubiis attenduntur. CCLXXXI. Impedimenta item *impedientia* vulgo appellata, sedulo sunt observanda, neq; aliqvod horum tyrannicæ superstitioni is damnandum. CCLXXXII. Qvamqvam Clandestinæ nuptiæ ante Tridentinum Concilium ratæ fuerint, semper tamen illas Ecclesia Christi detestata est. CCLXXXIII. Potuit Tridentinum Concilium nulla & irrita declarare Clandestina conjugia, ac talia declarando optime se gessit; ideoq; post hujus Concilii Sacrosancta decreta non solum hujusmodi conjugia noxia & illicita sunt, verum etiam irrita prorsus ac nulla. CCLXXXIV. Valida qvidem sunt, sed noxia & illicita Matrimonia Catholicorum cum hæreticis. CCLXXXV. Arbitramur confici Matrimonii Sacramentum à contrahentibus, seu, qvod idem est, Ministrum hujus Sacramenti esse contrahentes ipsos. CCLXXXVI. *Polygamia virilis*, idest, Matrimonium plurium virorum cum una uxore, inauditum ac turpissimum scelus, & omnino juri naturæ contrarium foret. CCLXXXVII. Uxorum pluralitas finibus Matrimonii Secundariis repugnat, ac primævæ illius institutioni, ac perfectioni adversatur. CCLXXXVIII. Antiqvi tamen Patres, qvi Uxores plures duxerunt, immunes fuerunt à culpa. CCLXXXIX. Verumtamen in Evangelica lege nefas est connubium iniri cum pluribus simul uxoribus. CCXC. At soluto cum priore conjuge per mortem, aut alia de caussa connubio, fas est aliam ducere, eademq; ratione tertiam, & qvartam, &c. CCXCI. Per libellum repudii non solvebatur vinculum prioris conjugii, neq: fas erat Judæis cum alia uxore contrahere, sed hoc illis Moyses indulserat *propter cordis duritiam*, & ne exosas mulieres intestino odio proseqverentur, vel morte afficerent. CCXCII. In Evangelica lege non dissolvitur per adulterium nexus & vinculum Matrimonii. CCXCIII. At Matrimonium ratum, & non consummatum, per religiosam professionem vere dissolvitur. CCXCIV. Præter fornicationem alterius conjugum, sunt aliæ caussæ ob qvas, conjugati fædere permanente, viri ac mulieres separentur *qvoad torum*. CCXCV. Celebrandum vero est Matrimonium cum Sacerdotali benedictione, junctis sponsorum dexteris, porrectoq; anulo nuptiali.

Hæc vero sunt, qvibus refellere heterodoxos, Theologis satisfacere, universumq; de Sacramentis concludere Sermonem, Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini, apud Sanctam Catharinam Virginem & Martyrem, Anno Vulgaris Aeræ CIↃIↃCCL. *curabant, asserta.*

Philippi Lichocki